

468

466

472

infantem, pannis involutum, vagientem in praesepio Deum,
venientes pastores laudantes, adorantes Magos et stellam
fulgentem. Desuper matrem Virginem, nutritum sedulum et
caetera illius nativitatis mysteria utrisque oculis intuebatur.
Quapropter electa in loco illo se in perpetuum mancipavit in
Dei servitium, ut dicit beatus Jeronymus de peregrinatione
S. Paulae.

Finitis itaque orationibus de specu adscendimus et finem
processioni fecimus. Ingressi autem ambitum locavimus nos
per societas, et ea, quae de Jerusalem in sacculis nostris
asportavimus, produximus, et comedimus, et de aqua bibimus.
Sunt autem aquae cisternarum Bethlehem frigidores, clariores,
saniores et dulciores, quam umquam viderim in aliquo loco
transmarino. De his aquis in abundantia habuimus gratis.
Videtur enim peregrinis omnibus labor tolerabilis, dum aqua
recens habetur; nullam habent quaestionem de cibariis coctis,
nec de vino, nec de lectisterniis, nec de aliis est quaestio,
nisi de aqua frigida et sana. Sumto ergo cibo et potu qui-
dam in locis, ubi comederant, collectis membris ad dormiendum
se locaverunt, major tamen pars spreta quiete reingressi sunt
ecclesiam et sanctas vigilias juxta praesepe Domini continua-
bant orationibus vacantes.

De divino Officio in Bethlehem celebrato, et de Missa summa.

Ende

Anfang

Media nocte sacrista cum tabula cucurrit per ambitum
et dormientes ad matutinale Officium excitavit, quod fratres
in specu nativitatis legerunt, quo finito incepimus solenne
Officium: Dominus dixit ad me etc., quod per mundum can-
tatur in nocte nativitatis Christi. Et praecessit pater Gar-
dianus cum suis ministris, induiti sacris, ad altare super locum
nativitatis Christi, et ita in specu officium cantavimus. Sub
Officio quidam devoti saeculares communicaverunt. Sacerdotes
vero celebraverunt in altari circumcisionis et in (B) capella
trium regum superius et inferius in altari juxta praesepe
Domini, et post Officium in altari nativitatis Domini. Et ita
continuavimus divina Officia usque ad claram diem.

